



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Thebano Capitvlo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

dis astutia, quæ ut in eis religionem commaculet, lites suscitatur inter ipsos, per apostolicæ sollicitudinis studium celeriter elidatur, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus cum in diocesis vestris aliqua fuerit inter eos materia litis exorta, vos sine mora partes vestras interponatis ad pacem inter eos amicabiliter reformandam. Quod si forsitan hoc modo provenire non poterit, sine sumptu & strepitu causam inter eos mediante justitia terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam sublato cujuscumque contradictionis & appellationis obstaculo firmiter observari. Datum Laterani 11. Non. Octobr. pontificatus nostri anno quartodecimo.

*CARISSIMO IN CHRISTO
filio nostro Henrico illustri Constantinopolitano Imperatori.*

Grave gerimus & molestum quod cum tu & alij cruce signati ad hoc debuertis circa captivum & detentionem imperij Romanæ intendere principaliter ut per illud subveniretis commodius terræ sanctæ, tu non solum eidem nullum curasti adhuc subsidium ministrare, verum etiam fratribus militiæ Templi, qui pro ipsius terræ defensione totis viribus elaborant, inferis molestias & jacturas, castrum de Sicutum super Ravenica cum pertinentiis suis ipsis auferens pro tua arbitrio voluntatis. Et licet jam sepe pro restitutione ipsius tibi direxerimus scripta nostra, tu tamen preces nostras pertransisti hactenus aure surda, prout debueras non attendens quam benignè ac efficaciter tuas preces curaverimus exaudire, quantumve nostrum auxilium tibi fuerit hactenus opportunum: quod si tibi forsitan, tua promerente duritia, duxerimus subtrahendum, experimento cognosces quantum tibi utile fuerit, quantumve subtrahendum afferat detrimentum. Quocirca serenitatem tuam rogamus atque monemus & exhortamur in Domino quatinus castrum præfatum cum pertinentiis ejus sine difficultate restituas fratribus antedictis, & nullam super eo de cetero ipsis molestiam inferas vel gravamen. Alioquin, cum eis ulterius nolimus, sicuti nec debemus, in suo jure deesse, qui sumus omnibus in justitia debitores, pro certo cognoveris quod super hoc officij nostri debitum exequemur. Datum Laterani 11. Non. Octobr. pontificatus nostri anno quartodecimo.

THEBANO CAPITULO.

EX parte vestra fuit propositum coram nobis quod cum vos nobilibus vinctis Oddoni de Roca Domino Atheniensi & G. nepoti ejus trecenta viginti hyperpera & amplius teneremini nomine cruce redere annuatim, dictus Oddo medietatem ipsius cruce pertinentem ad ipsum vobis pia liberalitate remisit, pro remissione vero medietatis alterius præfatus G. quingenta hyperpera solvere certo termino promissus. Unde cum nobilis vir Gaufridus Princeps Achaïæ, ad quem ratione feudi dicta cruce pertinebat, remissionem hujusmodi liberaliter acceptavit, nobis humiliter supplicastis ut remissionem eandem dignemur vobis auctoritate apostolica confirmare. Nos igitur vestris precibus inclinati, remissionem cruce memoratæ, sicut pie ac providè facta est, & in authenticis inde confectis plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. usque incursum. Datum Laterani Kal. Octobr. pontificatus nostri anno quartodecimo.

*Epist. 170.
Confirmat remissionem cruce.*

*ARCHIEPISCOPO ET DILECTIS
filiis Decano & T. Canonico Thebanis.*

Venerabiles fratres nostri Davaliensis & Cardicensis Episcopi per suas nobis litteras intimarunt quod cum causam quæ super domo de Iberacomite ac rebus aliis valentibus duo millia sexcenta & decem & octo hyperpera inter dilectos filios fratres militiæ Templi ex parte una & venerabilem fratrem nostrum Patracensem Archiepiscopum ex altera vertebatur, eis & dilecto filio Nazarocensi electo duxerimus committendam, ipsi cum idem electus eis commiserit vices suas, & eisdem confiterentur plenius prædictos fratres rebus præfatis fuisse contra justitiam spoliatos, possessionem earum, salva questione proprietatis, de prudentum virorum consilio sententialiter adjudicarunt eisdem, & condemnantes præfatum Archiepiscopum in moderatis expensis, in eos qui præsumerent eorum sententiæ contraire excommunicationis sententiam promulgarunt. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus prædictas sententias, diffinitivam videlicet, sicut est justa, per censuram ecclesiasticam, & excommunicationis, sicut rationabiliter est prolata, usque ad satisfactionem idoneam faciatis auctoritate nostra sublato appella-

*Epist. 113.
Ejundem argumenti cum epistola 155. libri 13.*

*Sutra lib. 11.
epist. 155. Zaratou.*

A A a iij